



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Celeberrimæ, Ac Præstantissimæ Scientiarum Universitati In Collegio Soc.
Jesu, Urbis Quitensis in Americâ, Sub titulo Divi Gregorii erectæ, & Collegio
Majori S. Ludovici Felicitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)



CELEBERRIMÆ,
AC PRÆSTANTISSIMÆ
SCIENTIARUM
UNIVERSITATI
IN COLLEGIO SOC. JESU,
URBIS QUITENSIS
in Americâ,

*Sub titulo Divi Gregorii erectæ, &
Collegio Majori S. Ludovici
Felicitatem.*



TANTI facta est apud me Sapientiæ
tuæ Majestas, **ACADEMIA**
PRÆSTANTISSIMA, ut ne-
fas duxerim, si alteri, cui obsequar,
Throno, alteri, ad quod appellem,
Tribunali me sistam. Recipies ex
me, & ut mihi suavis feci, non
invita tenuem Theologiæ meæ la-
borem nuperrimè prodeuntem; quandoquidem nec ma-
ria rivulos, nec Reges dedignantur tributa. Abundè pro-
fecto mei Operis indigentia provifum fore crediderim, si
Tuum feceris patrocinio, quod Tibi deberi non dubita-
vi, ipsammetque de eodem sententiam feras, quam de
Theol. * 2 Doctri-

EPISTOLA

Doctrinâ tuâ huc usque tulisti: Et sanè non aliter sperem, mea etenim Mens eodem tendit, quò tua; cùm non aliò spectes, quàm ut divina Doctoris Angelici sensa pro tuis viribus tuearis, non aliud quidpiam ego velim, quàm ut id ipsum tuus veluti Præco nescientibus propalem. Vestrùm igitur inprimis sit meæ causæ patrocinari, SAPIENTISSIMI PATRES, qui Sapientiæ sedes impletis in celeberrimo Quitensi Collegio, futuram portendens in scientiis præstantiam, non immeritum dedit. Jam satis compertum habui vos, quotquot estis scientiarum præclarissima lumina, tantâ doctrinarum luce splendescere. Novi Orbis in Hemispherio; quin etiam beneficos adeò circumquaque influxus diffundere, ut meum hoc Opus hujuscemodi avidum fortis radiis Vestris, Vestræque beneficentiæ exponi voluerim. Mirernè! si crescant in dies proficuo Vestrùm sub aspectu, tenerimæ veluti arbusculæ, eos quos assidui colitis, adolescentes, & spem surgendi virtutis in roborâ non imparem faciant fulgoribus iis, quibus uberimè foecundantur. Novum non est, si Patriæ valedicat amœnitati Juventus Panamica meliori fruitura solatio; si tellus Poparanica teneram adhuc prolem materno è sinu sibi dulciter eripi patiat; si tot regiones diffusæ libenti animo suis partibus viduentur: ea omnibus una mens est, ut scilicet saluberrimo vestro sub coelo pueri, quibus annuunt spoliari, rudes dediscant mores, firmentur in animo viribus, virtutibus imbuantur, & quos Vobis colendos crediderant flores, sibi fructus recipiant. Nec aliter expectari posse putemus, cùm ea vobis omnibus insit in erudiendo frequentia, in benefaciendo nunquam interrupta sedulitas, ut veri planetarum æmulatores necessariò beneficium præstare videamini, quod equidem non est necessitati tribuendum, sed electioni. Verùm ut gloriæ Vestræ prudentiùs consulam, utque declinem à periculo, quod pauca referentibus imminet, ineptus plura dicere silentio cedam, ne plusquam par est Vestræ sim obnoxius moderationi, hoc uno felix: si per Vos mihi detur ad altiora conscendere, quod facilè meo huic Operi præsto futurum arbitror, cùm gradus, qui viam ster-

nunt

DEDICATORIA.

nunt ad sublimiorem Sapientiæ sedem in Amplissimo Divi ALOYSII Collegio collocatam, Custodiæ Vestræ sint demandati. Equidem si magnum est quod meæ mentis labor Sociis arrideat meis, maximum rebor, si tantæ Universitatis verendo pariter ac venerando Capiti, se tuendum probavit. Quapropter conspectui Vestro obsequentem me statuo Sapientissimi hujusce Reipublicæ Moderatores, Vestroque comprobandos Judicio meos sensus exhibeo. Non est cur amplius expetam, si à prudentissimo Vestrum Magistratu jam à sæculo scientiarum solium obtinenti annuentem causæ meæ sententiam reportem; cui velut Oraculo à rectitudine Vestra inconcussam spondeo veritatem, ab antiquitate venerationem. Quamquam quid auxim de Vestris laudibus recensere, quasi verò aut firmiùs consolidari, aut altiùs possent extolli. Primum nequeo: Vestra siquidem in Rempublicam merita jam sibi laudes juridicè compararunt. Alterum verò ne præsumpserim, cum eo sursum pervenerint, ut sub Hispanico Throno recepta conspiciantur. Ecquis ignorat ea, quæ septemdecim ante annos formiter delata, octodecim magni nominis testibus confirmata, atque ab utroque Judicem Sacro, tum Regio approbata fuere. Quàm alacri mirantiq̃ue animo Generalis hujusce Diocesis Vicarius, quinimmò Universa Quitensis Ecclesia debuit excepisse Vos optimè de se meritos semper fuisse; cum nempè Pastores Catholicis Gregibus, Cathecumenis Instructores, Evangelio Promulgatores, Hispanis, Indis, exteris pro quorumvis spiritus indigentia Moderatores Vestra suppeditavit Academia; cumque totam Urbem, totamque Provinciam sacris ubique plenam Rectoribus, iisque Vestræ Universitatis Alumnis testatum audierit. Numquam tale auditum est, quod de hujusmodi Sapientum confesſu Regio Provifori eadem delatione juridicâ depositum fuit: inde videlicet prodiisse Patronos, qui Causas agerent; Doctores, qui Legibus invigilarent; Judices, qui consulerent æquitati, Curiis Ministros, Tribunalibus Præsides, toti que propemodum sustinendæ Reipublicæ

EPISTOLA

publicæ aptissima Sapientiæ fulcimenta. Quæ omnia quantum Honori Vestro, Vestræque Æstimationi conducant, nemo non videt. Verùm quid plura commemorem, cùm pro omnibus id unum satis superque sit, impostam scilicet Regali manu Gloriæ Vestræ Coronam vidisse. Vidimus equidem tot meritorum famam Celsissimum nostri Regis ad Thronum stetisse. Vidimus & nos summis à Rege donatos honoribus, & in supremo Sapientiæ inconcusso ejusdem Diplomate collatos. Num igitur poterat tolli sublimius Universitas Vestra, quam quod potentior in toto Orbe Monarcha suo Jussu decimaseptimâ Augusti quinque ab hinc annis habito D. ALOYSII majus Collegium, Majorum Academiarum cultu ac privilegiis frui decreverit: eidemque fecerit potestatem suorum capita Discipulorum Doctoratûs laureâ coronandi. Num poterat certius in eâ, quâ gaudet auctoritate constitui, cùm Regi Mens declaratum voluerit, Gradus omnes à Vobis collatos nullis Peritis cujusvis Universitatis gradibus esse secundos, & nostram velle Societatem in Urbe Quitensi Illustrissimæ P. P. Prædicatorum Familiæ in laureis conferendis æquari. Quod quidem potest facile novisse, qui velit, tantùm consulat Regale Decretum, quod octavâ supra decimam Martii quatuor ante annos è Typis prodiit. Num denique gloriosius excipi poterat quam ut Rex Invictissimus hanc eandem veluti Scientiarum Reginam Academiam suo colendam sub Imperio, suâ potentiâ defendendam, eodemque suo protegendam sub Throno supremis verbis firmaverit. Quid ultra potuit expectari, cùm etiam de ornatu Sapientiæ vestræ sollicitus ex ære proprio duplici Alumnorum binario quotannis alendo munificè suppeditari mandaverit. Id unum superest ut coronato Scientiarum capiti debita præstentur obsequia, tributa solvant. Vos itaque, SAPIENTISSIMI PATRES; Vobis, DOCTORES ORNATISSIMI, quotquot laureato vertice collatum Sapientiæ folium occupatis, Vobis, inquam, gratulor

DEDICATORIA.

in gloria fastigio dignitatem utrique Orbi spectandam.
Gratulor itidem & meo Volumini illam, quae Vestris
sub Auspiciis ipsi manet, felicitatem. Vale.

Observantissimus Dominationis Vestrae,

Procurator & Cliens,

IOANNES MARTINEZ DE RIPALDA.

APPROB.